









1696.

20. Stykius, Johannes Samuel: Controversiae Grotianae de jure belli et pacis loco Corollariorum, exercitationibus Brunnenmanni adjectae. [Controversiae sunt].
21. Stykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnenmanni . . . exercitationis Justinianae XXXII ad ~~tit. 12~~ ^{et. Tit. ult.} § 4. seq. (lib. IV. Instid.), quam cum Corollaris ex Grotio . . . publicae disquisitioni submitta. [Incertatis sunt].
22. Stykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnenmanni . . . exercitationis Justinianae XXXIII ad § 28 et 29. ds. lib. IV. Instid., quam cum Corollaris ex Grotio . . . publicae disquisitioni submitta. [Incertatis sunt].
23. Stykius, Jo. Samuel: Jo. Brunnenmanni . . . exercitationis Justinianae XXX ad tit. 12 § 4 seq. lib. IV. Instid. . . . [Incertatis sunt].
24. Stykius, Jo. Samuel: De jure cataractarum. Vindob. Schlensae. Pecht. 2. Seimpl.

25. Strykius, Jo. Samuel : Jo. Brunemannii . . . Invenitatis
Furtivorum XXXIX ad tit. 7. seq. lib. IV. Furtiv. . . .
[Invenitatis Decret.]

26. Strykius, Jo. Samuel : Jo. Brunemannii . . . Invenitatis
Furtivorum XXXI ad tit. 17 et 55. prior. tit. 28 lib. IV
Furtiv. . . . [Invenitatis Decret.]

27^{a, b} Strykius, Jo. Samuel : De obsequii remissione
2 Exemp. 1696 et 1744.

28. Strykius, Samuel : De tutela materna principum imperii

29. Strykius, Samuel : De jure baronum .

30. Strykius, Samuel : De jure humaniore .

31^{a, b, c} Thomaeus, Christianus : De jure statuum imperii,
Jandae civitatis . 5 Exemp. 1715, 1731 et 1749

32^{a, b, c} Thomaeus, Christianus : De injuria oppositi
jurium majestaticorum superioritatis territorialis
et reservationum imperatoriarum 3 Exemp. 1698, 1735

33 a, b, c, d. Thomasius Christianus : De praescriptione regalium
et jura subditorum non pertinentibus. 4 Sept. 1696 et
1735.

34 a, b Thomasius Christianus : De captatorio institutionibus.
2 Sept. 1710 et 1738

~~Herrn, Hrsg. von: Deutscherischer Jahrbuch eines Jahres~~
Dr. J. J. J. J.

1912.



10
B. C. D.
RECTORE ACADEMIÆ FRIDERI-
CIANÆ MAGNIFICENTISSIMO

Serenissimo Principe ac Domino,

DNO.

FRIDERICO WILHELMO
Elect. Brandenburgici Herede.

RELIGIO EXPERS
IMPERII.

Indultu

*Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
ostenditur*

PRÆSIDE

M. JOH. FRIEDEMANNNO

Schneider /

Cranichfeldensi Thuringo.

RESPONDENTE

ERNESTO GOTTLIEB HORNIG,

Hall, Magdeb.

D. Januar. Anno MDCXCVI.

Halle Magdeburgica, Literis VIDUÆ Salfeldianæ



S 1419

Generosissimo & Consultissimo
DN. JOHANNI JACOBO
de CRATZ,
Hæreditario in *Bfaffendorff* / Potentissi-
mi Electoris Brandenburgici Consiliario Came-
rali gravissimo, & Capiteo Præfectura
Zinnæ ac Loburgi.

Prænobilissimo atq; Excellentissimo
DN. JOHANNI FRIDERICO
REINHARDO,
Jcto Celeberrimo, Illustris Regiminis
Electoralis Consiliario splendidissimo in Du-
catu Magdeburgico.

Generosissimo & maximè strenuo
DN. GEORGIO de HORNIG,
Hæreditario in *Singst & Reinsdorff* /
Summo Forti Præfecto in Ducatu
Magdeburgico.

*DOMINIS AFFINIBUS, AGNATO, PATRONIS
SUIS ÆSTIMATISSIMIS*

Hoc monumentum observantiæ
erigit & dedicat
ERNESTUS GOTTLIEB HORNIG.



I. N. J.

P R Æ F A T I O.

SI per se fortuna, sine virtute in Rege ponderanda est, nemo Regi Galliae præfertur. Varius invitâ: successibus enim apprimè fuit felix. Manu quidem strenuus; magis tamen celer consiliis: in solens servandi foedera, belli valde cupidus: nulli vero majorum suorum, adversus miseros Reformatos crudelitate secundus. A quibus maluit hætenus metui, quam diligi: Invitis imperare, ipsum oblectat. Propterea quos
A 2 olim

olim benevolentia protexit, ac libero
Religionis exercitio tenuit, sævitia vel
necat, vel, quod unicum super est affli-
ctis remedium, regno expellit. Expe-
rientia testatur, quæ monumenta furo-
ris dederit. Hæc percerere nolo: no-
ta enim non egent interprete. Solum-
modo causam pressorum Reformato-
rum proviribus examinabo: Imprimis
utrum Christianissimo Regi licuerit tan-
ta vi religioni Protestantium dominari,
ut propagaret Pontificiam? Cum igi-
tur sententiæ neganti subscribant justi
& æqui tenaces, præeuntes, his rationi-
bus nixus, interpide sequar.

CAP.

CAP. I.
VERAM SENTENTIAM
CONFIRMAT,

§. I.

Quia directò & per se interiores animæ actus soli DEO subjiciuntur, nulli vero creaturæ. D. Amesius in *Medulla Theolog.* L. 2. c. 4. §. 26. p. 222. Utpote cui jus in Jura Dei non conceditur. Dn. D. Osiander in *Colleg. A. C.* p. 650. Sic animi recessibus solus Deus propriè imperare dicitur. Hug. Grot. de *J. B. & P.* l. 1. c. 2. §. 7. Religio autem intellectus & conscientia opus est, in qua nemo præ altero jus aut imperium sibi vindicare potest. Dn. D. Christoph. Becmannus accuratissimus Politicus in *dissert. de Autoritate Conciliorum* §. 17. p. 19. Nam corpora sunt obnoxia & adscripta Dominis, mens sui Juris est Seneca L. 3. de *Benef.* c. 20. Unde Religio non imperatur sed persuadetur Dn. D. Samuel Maresius in *System.* Loc. XV. §. 9. p. m. 817. conf. Grot. l. 2. de *J. B. & P.* c. XXII. §. 14. innot. p. m. 391. & c. 20. §. 48. in not. p. 362. 363. Nimirum argumentis & testimoniis, quæ paulatim ad assentiendum alliciunt Reinhardus König in *Disp. Polit.* IX. de *Relig. & Leg.* §. 12. Plus enim operatur benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam comminatio; plus charitas, quam potestas, c. 4. *dist.* 45. Religionem cogere, religionis non est, Tertullianus ad Scapulam. c. 2. p. 88. Quapropter vis medium est prorsus heterogeneum: Propagatio autem Religionis tentanda semper est mediis homogeneis. Si quidem animis solum benè præparatis infunditur. Dn. D. Muller in *Tr. de Statu Confess.* Disp. VIII. *subsect.* 1. §. 39. Nempe Secretis Dei auxiliis, Hug. Grot. de *J. B. & P.* l. 2. c. 20. §. 48. num. 1. p. 345. Dn. D. Becmann in *Tr. de Jure Subditorum circa sacra.* c. 11. §. 12. p. 18. His religionis gravitas in efferata barbarorum inge-

A 3

nia

nia penetrat, truces hostium oculos emollit, ac spiritus victoria
elatos repente flectit, Bernhardus Gvalandus in *Tr. de optimo
Principe* p. 27. Nam in negotiis Religionis intellectus humanus
quidem sese gerit passivè, docente etiam Illustri Jcto Dn. Bern-
hardo Jacobo Mulzio in Repraesentatione Majestatis Imperato-
riae. *Pr. II. c. 33. n. 28. p. 885.* Propterea tamen coactioni huma-
nae non est locus: Quoniam in actibus animae consistit; verum
haec cogi nequit: quia est Spiritus. B. Dn. D. Joh. Gerhardus Pro-
avus meus post fata colendus in *Loc. de Magistr. Polit. §. 90. p. 315.*
B. Dn. D. Strachius in *Exercit. J. Publ. Exot. VII. th. 2. p. 173.* Dn.
D. Becmann in *Conspect. Morali c. 6. p. 66.* In religione igitur si
animus est averfus, jam sublata, jam nulla est Dn. Georgius
Schömberner *l. 3. Polit. c. X. p. 263.* Illud autem coactum est,
quod non ratione sui solum extra subjectum est, sed id, quod
moveret voluntatem contra inclinationem suam Illustris Dn.
Unverfahrt in *Pedia Jurisprudencia. c. XV. §. 30. p. 550.* Quae
interim de Dominio virtutum in religione comprehensarum,
Joh. de la Cruz in directorio Conscientiae disserit *Pr. I. Praecept.
7. n. 3. p. 102.* alibi excutientur,

§. II.

Cum adeò grave sit, violare reservatum Dei, hanc ob cau-
sam imperium religionis, neque Regi, neque subditis prodest;
Regi quidem, quem odiis & periculis involvit. Nulla enim re
potentius capiuntur homines, quam Religione Andreas Maxi-
milianus Fredro in *Monitis Politico-Moral. Pr. III. n. 71. pag. 116.*
Profectò id efficit in Rege religio, ut nemo subditorum injustè
nihil ab eo fieri posse credat, si religioni etiam suae intentum vi-
derit, uti Gvalandus monet *l. c. p. 15.* Sin secus accidat, ut ensi-
bus non rationibus religionem convincere studeat, mirum non
est, atrocitatem persecutionis irritamenta praebere miserorum
causam

causam tuendi. Homo enim in adiutorium mutuum generatus est, ut vel sola cognatio naturalis ad opem ferendam sufficeret Hug. Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 25. §. 6. p. 413.* Sane nihil est tunc homini utilius homine altero Grotius *de J. B. & P. l. 1. c. 5. §. 2.* Praesertim negato flebili emigrandi beneficio, ita fit tandem furor, patientia crebrius laesa. Ubi erit religio, si gravissimis delicti cladibus jaceant homines? Ubi Deus recipietur, si manantes sanguine fluvii albescentes ossibus agri, sepultae cineribus suis & ruinis urbes, nihil aliud quam scelus furoremque tacite clament? merito conqueritur Adamus Pifetzky à **Kranichfeld** in *Tr. Historico Politico de hac materia. c. 1. p. 113.* Quamobrem Hugo Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 50. in not. p. 365. & c. 22. §. 14. p. 387.* arma & flagra hic rejicit. Cum in turbato rerum statu rectius faciat Princeps, si poenitentia, quam poena contentus est. Conf. Gottofred. Ferdinandus de Buckisck *ad instrument. Pac. Osnabrug. p. 32.* Similiter subditis nihil prodest praedictum imperium, sed vel maxime nocebit. Nam multos parit hypoeritas, stupidos, & atheos. Hypoeritas, qui enim coacte credunt, non credunt, sed se credere astute simulant, ut malum evitent: Tralatitium est, coactam voluntatem, non esse voluntatem. Stupidos ex coeca obedientia, qua sine attentione & insano impetu assentiuntur, Vid. D. Bectmann. *de Exuperantia obsequii. p. 44. §. 3.* Denique atheos, ob neutralitatem: Quemadmodum neutralitas bellica quasi media via subsistit, nec amicos parat, nec inimicos tollit, ceu describitur à Francisco Davide Bonbra in *Arte 6. & p. l. 2. Disc. 23. p. 121.* Ita neutralitas in religione, nec verae se addicit, nec falsae se opponit, utrinque pendula haeret. Enim vero omni addictum esse religioni, perinde valet, ac nullam habere religionem. Quoniam una religio, vera est religio.

CAP.

CAP. II.
FALSAM SENTENTIAM
EXAMINAT.

§. I.

Nemo ignorat, in re tam ardua, non dignitati solum ser-
viendum, sed etiam tranquillitati, qua nititur quævis so-
cietas. Ideò precium erit operæ, rationes hic adducere,
quibus adversa pars affectatum religionis imperium defendit.

§. II.

Præcipua rationum hæc est: Rex summam potestatem
ubique habet, & jure sacrorum pollet. Ergo ejus imperio, non
subducenda est religio. Resp. Quoad substantialia religio
exempta est à determinatione Regiæ potestatis, adeò, ut possit
etiam absque Imperio, licet non absque auctoritate præstari,
uti dubium solvit olim B. D. Conringius in *Disput. de Majestate*
lib. 61. Secus est quoad ritus. Interea imperium & manus pa-
storale discreta sunt Joh. Christoph. Neander in *Tr. de Princip.*
Potestat. summitate p. 7. l. A. Unde distingvenda est cura Reli-
gionis interna vel administratoria, ab externa seu directoria: Illa
in Applicatione mediorum salutis & explicatione cultus divini;
hæc in dispositione rituum externorum aliisve occupatur: Po-
sterior duntaxat seculari subjacet imperio; Prior autem DEO
primario, ministris ejus secundo competit. B. Dn. D. Sagitta-
rius in *Disput. Polit. de Relig. §. 21. p. 745.* & Dn. D. Conringius in
Commentario ad Lampadium p. 24. Neutri opus est vi & injuria.
Traducenda enim Religio non sævitia, sed patientia; non scelere,
sed fide Lactantius. *L. V. Instit. Div. c. 19. p. 303.* Id propter Ty-
ranno



ranno propè accesserit, qui fauces obstrueret, ora comprimeret, subditorum etiam singultus prohiberet, Conf. B. Dn. D. Kortholt in *Tr. de Christ. Primævis* p. 194. Ut plurimum exiguo fructu: Cum Rex perinde animis imperare non possit, ac linguis. Quamvis igitur per inquisitionem loqvendi audiendique adimatur commercium; memoria tamen non perit. Rationem adjungit Marcus Zvverus Boxhornius in *Instit. Polit. l. 1. c. 7.* quia non tam in nostra potestate est oblivisci, quam tacere. Hinc religionis nunquam major conspicitur potentia, nisi cum à Tyrannis oppugnatur. Antonius de Gvevara in *Horolog. Princip. l. 1. c. 9. p. 27. Edit. Torgav.* Nam religio Dei augetur, quanto magis premitur Lactantius. *L. V. Div. Instit. c. 20. p. 463.* Ut pateat non jus quodvis sufficere ad id committendum, quod religioni si non directè, tamen indirectè nociturum putatur. Hug. Grot. *de J. B. & P. L. 2. c. XV. §. XI. n. 2.* Quod enim illi contrarium, Reipublicæ est noxium, etiamsi fides propriè non foveat felicitatem civilem, Dn. D. Conringius in *Comment. ad Lampad. Pr. 1. §. 20. p. 25.*

§. III.

Dēinde urgent etiam hoc dissentientes: Rationi Status esse contrarium religionis disfidium; cujus tamen Rex potissimam gerere debet curam. vid. Joh. Antonius Palazzi in *Tr. de Gubernaculo. Pr. 11. c. 6. n. 4.* Resp. Ratio Status tanquam inferior, Religioni cedat. Hoc inculcat Scipio Ammiratus Commentar. in Tacit: prout ejus verba allegat Arnoldus Clapmarius in *Tr. de Arcanis Rerumpublicarum, l. IV. c. 21. p. 246.* Perche la religione è cosa maggiore della ragione di stato, ed non si dà propotione
B della

delle cose temporali all' eterne conviene in tali acciden-
te, ricorrer priemieramente alla religione, ed veder, si
ella ti si oppone; perche in tal caso bisfogna accommodar
la ragione di stato. Præsertim si Religio per se nullos af-
ferret mutationes Rebuspublicis, sed per accidens propter
accessiones æquivocas Bartholomæus Keckermannus *in*
Systemat. Polit. l. 1. c. 32. n. 3. p. 105. Quando Magistratus
sub specie Religionis subditos opprimit, & inveteratam vi
extirpare conatur. Ex aduerso potius, cum jus civitatis
quæsitum, quisq; in ea sedem fortunarū suarum collocavit,
invitum, & ob religionem, erroris haud legitimè convictam,
civitate ejicere, quod sæpè cum maxima molestia conjun-
ctum & ingens injuria esse videtur. B. Samueli à Puffendorff
in Tr. de Habitu Religionis Christianæ ad vit. civilem. §. 54. p. 267.
Alias certum est, nullum Dogma, Religionis Protestantium
ita comparatum esse, ut vel Imperii, vel jurium ejus indolem
alteret, mutet, aut convellat. Malim tamen hæc exactiori
relinquere judicio. Hinc placet cuivis sententia Boteri
in Lib. V. Polit. Illustr. c. 2. fol. 350. tradita: Non religio-
nem, sed diversitatem opinionum in religione Pandoram
ferè esse omnium malorum, quæ in mundo magno cum
hominum detrimento quasi disseminantur. Idem con-
firmat exemplo Belgii fœderati Severinus de Monzamba-
no *in Tr. de Ratione Status Imperii Romano Germanici. c. 8.*
§. 5. ut propterea Celeberrimus Academiæ nostræ Senior,
Dn. D. Thomasius christianè addiderit *in not. ad cit. au-*
ctorem, p. 401. (a) Si non ratio, si non Christianismus re-
futaret, qui docent, diversitatem religionum excitare tur-
bas in Republica, vel Exemplum Belgii errorem istum Po-
liticum refutaret.

§. IV. Deni-

§. IV.

Denique confugiunt ad hanc rationem : Regis esse Regionem ergò etiam religionem. Resp. Scilicet in defensionem , non perditionem est concedita. B. Dn. D. Volckmar Bechmann *in Comment. ad A. B. Exercit. XI. p. 280. 281.* Illust. Dn. Samuel de Puffendorff *in Tr. de habitu religionis Christianæ ad vitam civilem. §. 54. p. 261.* & Dn. D. Osiander *in Tr. de Jure reformandi tb. 13. p. 20.* Imprimis si pacta exercitium ejus liberum firmant. Qualia colligere licet ex variis edictis, subinde promulgatis. Nanneticum ab Henrico IV. 1598. prodiit. Hujus vestigia presertim Ludovicus XIII. Neque Ludovicus XIV. remisit quicquam, sed anno 1656. d. 7. Septembris inquisivit ; utrum Nannetense Edictum à Protestantibus servetur, quod fuse recenset Dn. D. Becmann. *in Orb. Terr. Pr. 11. c. 111. §. IIX. p. 518. & 519.* Verum paulo post animum mutavit & præter spem omnium anno 1685. mense Octobris, & anno 1687. altera vice, planè ac plenè abrogavit, laudatum Edictum conf. *Recens. Histor. Vernal. de anno 1687. c. 12. p. 115.* Dn. D. Becmann. *de Jure Subditorum circa sacra. c. 111. §. 21.* Ita nunc apparet integritas regie fidei. Quod enim vi pacti servandum, ac ob Regis reputationem exsequendum, (quam in eo maximè verti Dn. Wilhelmus Vagedes *in Tr. de Reputatione tb. XXX. p. 25.* prudentissimè monet) temerè rescidit. Sanè ea de causa pactiones compleri debent, cum ex ipsa veritate, fidelitate & Justitia in illis oriatur obligatio quædam mutua & communis omnibus gentibus Didacus Saavedra *in Idea Principis Christiani Symbol. 74. p. 610.* Nihilo tamen secius hanc Rex ipse sustulit, quasi consistere possent, voluntas imperandi & voluntas perdendi. Vid. Hug. Grot. *de J. B. & P. l. 1. c. 4. §. XI.* Contraria sunt

funt regere & perdere populū; esse tutorem & Curatorem civium: quamvis de hac perdendi voluntate difficillimum sit Judicium. Dn. D. Joh. Tesmar. *in Comment. Grot. ad l. 1. c. 4. §. XI. p. 175.* Omnino imperantis felicitas in subditorum felicitate reposita est, cujus sunt quasi partes teste Hug. Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 25. §. 1,* Clarè Rex id manifestavit, dum Protestantes jus sit, ea agere, quæ conscientia ipsorum repugnant, quod omnibus humanis viribus majus est; & recusantes nullis non injuriarum generibus subjecit, quod humanum modum prorsus excedit. Dn. D. Becmann. *in Disp. de Jure recipiendi exules. c. 2. §. 10. p. 23. & §. 13. p. 27.* Longè melior est eo casu expulsio, quam compulsio, Judice Illustri Dn. D. Lynckero Præceptore meo fidelissimo, *in Disput. de Superioritate circa sacra th. 12.* Ideò emigrent, patria exules careant, quibꝰ libertatis pristinae spes hæctenus evanuit. Siquidem hoc cura dictat propriae salutis; nec ullo humano jure justè prohibetur. Emigrantium quoque conditio haud obstat: sunt quidem subditi, quos alias manet obsequii gloria; Enim verò, dum ultra humanas vires Rex Christianissimus cum civibus suis agit, pro subditis eos minimè agnoscere viderur. Regis enim est subditos suos fovere, ut pater liberos. Quia nihil tam peculiare est Regiæ Majestatis, quam humanitas, per quam solam Dei servatur imitatio (*L. 27. C. de Donat. inter vir. uxor.*) Quamobrem tanto gratius esse nomen pietatis (sc. paternæ) quam potestatis, cum Hugone Grotio *ex L. 3. de J. B. & P. c. 14. §. 5. p. m. 545.* concludo, melioremque fortem precor singulis, tot rerum discrimina passis, ut de libertate conscientia perpetuò exultarent.

COROL-



Corollaria.

I.

Adam non habuit Majestatem.

II.

Jure Gentium illicita non est
vastatio templorum: Grotius. *L. 3. de*
J. B. & P. c. V. §. 2.

III.

Calumniator peior est fure
Gro-

Grotius *L. 2. de J. B. & P. c. XX.*
§. 29. in not.

IV.

Duella nullius Juris esse, quocun-
que prætextu excusentur, cum
Benedicto Wincklero defendi pot-
est *L. IV. Princip. J. N. c. XI. p. 420.*

V.

Res indifferentes non consistunt
in puncto Hugo Grotius, *de J. B. &*
P. l. 1. c. II. §. 1.

VI.

Religio est Juris Naturæ & Ju-
ris Gentium.

VII

Statum virginalem propter con-
siliium

filium esse superiorem conjugali, ma-
lè Henricus à Gandavo *Qvodlibet:*
Lib. IV. qv. 13. fol. 234. laudabiliorem
verò ex pio proposito susceptum, re-
ctè statuit, Hugo Grotius *de J. B. &*
P. l. 3. c. 4. §. 2.

VIII.

Acedia in ortu & eventu morali-
ter mala est. Angelus de Clavasio in
summa Angelica. *p. m. 7. n. 1. 2. & 3.*

SOLI DEO GLORIA.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


VIII

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

SOLL DEO GLORIA







ULB Halle

3

003 946 525



V017







1696 168
4

D.
EMLÆ FRIDERI.
FICIENTISSIMO
cipe ac Domino,
O.
WILHELMO
urgici Herede.
EX PERS
ERII.
ltu
tatis Philosophicæ
itur
I D E
DEMANNO
ider /
i Thuringo.
DENTE
LIEB HORNIG,
gdeb.
M DC XCVI.
IDUÆ SALFELDIANÆ

UNIVERSITÄT
MAGDEBURG
ZVHALT

